

est ordo virtualiter, et fundamentaliter: et sic dicitur essentialis ordo, seu respectus ad finem vage sumpsum, loquendo de respectu radicali, seu virtuali, quatenus in radice, et in visceribus talis objecti, quod est medium, invenitur, et petitur essentialiter, quod non sit sine aliquo fine, licet non petat determinate istum vel illum, quia ad utrumque indifferens est, et subjectum voluntati operantis; sicut patet in omnibus actibus, qui deservire possunt diversis finibus, licet alias in se sint mali, vel boni, ut furtum potest deservire ludo, vel adulterio; jejunium pœnitentiæ, vel religioni, vel justitiæ, et similia. Tales enim actus, dicunt de se ordinem radicalem, seu capacitatem, cujuscumque finis, ad quem possunt ordinari; et talem capacitatem essentialiter habent, ideoque dicuntur in virtute, et radice respicere finem vage; hunc autem, aut illum finem determinate, et prout in re formaliter, exercetur talis ordo, respiciunt accidentaliter, per formalem respectum, ut pluribus exemplis, supra monstratum est.

XLIII. Sed adhuc objicies: Nam ita se habet intentio finis in voluntariis, sicut principia in speculativis, et electio mediorum, sicut conclusiones in scientiis, quæ a principiis derivantur; sed conclusio, licet possit deduci ex diversis principiis, tamen hoc ipso, quod ab istis determinatis deducitur, non accidentaliter, sed essentialiter ab eis pendet: ergo similiter electio mediorum, seu actus exterior voluntatis, licet ordinari possit ad diversos fines, et hoc essentialiter petat, tamen cum ad hunc determinatum finem ordinatur, etiam ab illo essentialiter, et non accidentaliter pendebit. Et confirmatur, quia in actu exteriori voluntatis, ordo objectum proprium, et specificatio ab illo, materialiter

se habet, et id, quod ex parte finis, formaliter, ut docet S. Thomas q. xviii, articulo vi, infra, sed non formaliter accidentaliter, ergo specificative. Minor probatur, tum, quia bonitas, et appetibilitas finis, semper dat rationem formalem volendi mediis, sicut lux visibilitatem coloribus: quo exemplo utitur D. Thomas infra q. viii, articulo iii, et q. xii, articulo iv; tum quia finis dat principalem denominationem, qui enim furatur ut mœchetur, magis est mœchus, quam fur, ergo non est aliquid accidentale, si est magis principale; tum in actibus indifferentibus, ubi finis dat speciem determinatam, boni vel mali, cum ex objecto solum sit indifferens; ergo finis, ut distinguitur ab objecto, est qui formaliter dat speciem, saltem moralem, ipsi actui indifferenti; ex objecto enim speciem determinatam boni, vel mali, non habet.

XLIV. Respondetur finem ita se habere in voluntariis, sicut principia in speculativis, quantum ad causalitatem, et influentiam, quia ex fine voluto movetur voluntas, sicut ex quodam principio, ad volendum media; non autem quantum ad modum influentiæ, et dependentiæ unius ab alio. Et ratio disparitatis est, quia in speculativis cognitio principiorum, per connexionem suam cum veritate conclusionis, operatur, movetque ad conclusionis assensum; in voluntariis autem, juxta voluntatis applicationem, et dispositionem: eo quod bonum non movet, nisi ratione convenientiæ ad subjectum, et secundum quod subjectum diversimode est dispositum, diversimode movetur, qualis enim unusquisque est, talis finis videtur ei. Connexio ergo inter veritatem principiorum, et conclusionem, cum sit connexio veritatis, vel ejus, quod sub apparentia veritatis movet, non dependet a dispositione

subjecti, vel ab aliquo accidentali, et extra ipsa principia, ut moveat, sed ex ipsa dependentia, et connexione rerum inter se, sic movet, sive probabiliter, sive evidenter, prout fuerit ipsa veritatis connexio ex parte rerum, seu principiorum inter se. Ordo autem bonitatis rei ad movendum voluntatem dependet ex aliquo accidentali, et extrinseco, quod variari potest, manente eadem bonitate objecti, scilicet, ex dispositione subjecti appetentis; disponitur autem per amorem finis, quia qualis unusquisque est talis, finis videtur ei: amor autem finis, ad intentionem pertinentis, accidentaliter esse potest, ipsis mediis, quia aliquando est aliquid, tenens se ex parte operantis, seu appetentis, quod variari potest, nec habet connexionem per se, et intrinsecam, sed accidentalem cum bonitate objecti. Et ideo finis quatenus tenet se ex parte operantis, et intendentis, dat circumstantiam medio, quod in ordine ad talem finem appetitur, quia non est per se requisitum ad tale medium; sicut etiam hoc determinatum medium, non est semper necessario requisitum ad finem, quia diversis mediis potest assequi, et sic tota connexio solet desumi ex parte operantis, seu ex applicatione ejus, quod liberum, et accidentale est mediis, et fini. Et sic nulla intentio finis movet de necessitate, ad media, nisi ex suppositione voluntatis finis, quæ non est absoluta necessitas, sed ex suppositione, et ideo accidentaliter esse potest, et circumstantans, non specificans actum erga media.

XLV. Nec obstat, quod in mediis, semper est proportio ad finem, ex natura ipsa mediorum, non est voluntate operantis. Dicitur enim, quod est quidem proportio, sed cum indifferentia, et indeterminatione, potest illud medium deservire di-

versis finibus, vel finis acquiri diversis mediis, ideoque connexio non est per se, sed ex suppositione voluntatis intendentis, et applicantis. Veritas autem alicujus conclusionis, licet possit intelligi per diversa media, et possit aliquis applicare ei, quod maluerit, tamen ipsa ordinatio, et connexio unius veritatis ad aliam non pendet ab applicatione intellectus, sed ab eo quod in meritis ipsarum veritatum, et propositionum invenitur, sive sit evidens, sive probabilis, aut quocumque alio modo. Et sic veritas principiorum, nunquam accidentaliter circumstat, sed specificat veritatem conclusionis, ut illustratam, et manifestatam, licet eadem materialis veritas, diversis illustrationibus subesse possit: bonitas autem mediorum non per se connectitur, nec determinatur semper a fine sed ex voluntate operantis, ideoque aliquando circumstat, non specificat illam.

XLVI. Ad confirmationem respondetur, quod in actu exteriori, ordo ad objectum proprium, materialiter se habet, et ordo ad finem formaliter, non formalitate specificationis quæ semper sumitur a finibus proximis, sed formalitate motionis et efficaciam in volendo, quæ sumitur ex fine intentionis, quanto enim finis remotior, seu prior, et universalior est, formalius et efficacius movet; quanto proximior, magis specificat, et contrahit seu limitat actum: et ex consequenti formalius se habet finis, respectu actus exterioris, quantum ad moralitatem, et speciem participatam in actu exteriori et communem; non quantum ad propriam et specificam. Et hæc est mens S. Thomæ illo ipso loco, qui citatur in argumento. Dicit enim: « Quod id, quod se habet ex parte voluntatis, se habet ut formale, quia voluntas utitur membris ad agendum, sicut instru-

mentis, neque actus exteriores habent moralitatem, nisi in quantum sunt voluntarii. » Ecce in quo explicat D. Thomas finem formaliter se habere, et objectum materialiter, scilicet, in ratione formali movendi, et agendi, quia voluntas inquit: « Utitur membris ad agendum. » Eadem autem ratio est de usu voluntatis erga membra, seu facultatem motivam, et erga actum imperatum licet a se elicatum, ut bene Cajetanus notat infra q. xviii, articulo vi, quia utriusque accidentale est, quod est a fine imperante. Et rursus materialiter se habet actus exterior, in ratione participandi voluntarium, et moralitatem, quæ illud sequitur; eo quod ratio voluntarii originative primordialiter, est a primo actu, seu intentione voluntatis, et inde participative derivatur ad sequentes actus; et in hac participata, et derivata moralitate, atque ratione voluntarii, semper intentio finis formalior est, quia intentio primo, et per se habet speciem a fine, eam vero speciem finis, reliqui actus habent participative, licet propriam, specificative.

XLVII. Ad primam probationem respondetur, quod finis dat appetibilitatem, et rationem formalem volendi ipsis mediis, distinguo: rationem formalem volendi, per se necessario connexam semper, et in individuo, nego; libere, et indeterminate, transeat; tunc autem determinatio ejus ab applicatione voluntatis, et intentione operantis, dependet. Et ideo potest ista ratio formalis, quando non est per se determinativa bonitatis mediorum, accidentaliter se habere ad illam et ut circumstantia in individuo, et determinate sumpta; licet essentialiter, et per se dicat tale medium, ordinem ad aliquem finem vage sumpsum. Itaque quando medium potest diversis finibus deservire, formalis

ejus appetibilitatis ratio, non est unus finis determinate, sed disjunctive in confuso; quod vero fit iste finis determinate, est ei accidentale: sicut potentia visiva est essentialiter, respicere colorem vage, et in communi: accidentale autem respicere videre hunc in particulari. Et sic finis, prout determinate intentus ex intentione operantis, et sine quo posset alias appeti medium, dat speciem accidentalem, et circumstantiam. Nec in hoc possumus adæquatiori regula uti, quam ea quam posuit S. Thomas infra q. xviii, articulo vii: « Quod quando objectum non est per se ordinatum ad finem, differentia specifica, quæ est ex objecto, non est per se determinativa ejus quod est ex fine, nec e converso. Unde una istarum specierum, non est sub altera, sed tunc actus moralis est sub duabus disparatis. » Et ponit exemplum, quando aliquis furatur, ut mœchetur.

XLVIII. Manifestum est autem, quod actus qui habet duas species quasi disparatas, una earum est accidentalis, et circumstantia respectu alterius, quia utraque essentialis esse non potest. Tunc autem dicitur a D. Thoma esse accidentalis circumstantia, quando objectum actus non est per se ordinatum ad finem: ergo quando aliquod medium, ita se habet, quod potest sine aliquo determinato fine salvari, et ad alium ordinari, non est per se ordinatum sub illo, et consequenter ille erit circumstantia, et dabit formalem rationem, non essentialiter actui, licet actus essentialiter postulet aliquem finem habere vage, et in confuso. Quomodo autem finis se habeat ad media, sicut lux ad colores in præbenda ratione formali, jam supra diximus, et amplius explicabitur infra circa quæstionem octavam. Nunc sufficit pro præsentis argumento dicere, quod finis se habet,

ut lux respectu colorum, sed non uno et eodem modo semper: aliquando enim unicus, vel plurium mediorum, et tunc ille tantum dat appetibilitatem; aliquando possunt media ordinari ad plures fines, et tunc nullus in particulari, dat per se formalem rationem, sed aliquis disjunctive; sicut essent plures luces, quibus color illustrari posset.

XLIX. Ad secundam probationem dicitur, quod finis dat principalem denominationem operanti in movendo, non actui exteriori in specificando; finis enim ita est volitus quod gratia sui, alia appetuntur, unde in movendo ut alia appetantur efficacior vim habet, et consequenter principalem denominationem in attrahendo, et movendo, licet minus principaliter se habeat in specificando opus exterior: qui enim mœchatur ut furetur, furtum accedit mœchiæ, et sic non specificat; dicitur tamen ipse operans magis fur, quam mœchus, non ipse actus mœchiæ, dicitur magis actus furti: quia principaliter et efficacius a furto movetur; in voluntariis autem ab efficacia, et motione sumitur principalior denominatio. Imo in intellectu, qui assentitur conclusioni propter præmissas, magis assentitur præmissis, non tamen in ipso actu conclusionis, sed in actu præmissarum, a quo tamen magis movetur intellectus. Nec est verum, quod id quod prius movet, specificat; id enim verum est, respectu operis, non respectu operantis. Primum motivum operantis specificat, et dat illi formalem rationem; non primum motivum operantis, quia ex primo actu movetur ad secundum.

L. Ad tertiam probationem dicitur, quod in actibus de se indifferentibus, finis non, manet circumstantia, sed transit in conditionem objecti, in genere morali, quatenus

objectum indifferens, ab illo, vel ex ordine ad illum, induit primam rationem moralitatis, determinatam in actu, cum de se indifferentiam habeat, et in potentia sit ad bonum vel malum, de quo amplius dicitur infra q. xviii, præsertim circa articulos viii et ix.

LI. Ad rationes dubitandi ab initio positas, patet ex dictis. Constat enim rationem, quomodo finis dicatur dare formalem rationem appetibilitatis mediis, sicut lux visibilitatem coloribus, et tamen possit determinatus finis, esse circumstantia, eo quod aliquando media, non habent connexionem necessariam, per se cum uno fine tantum, sed possunt ad plures ordinari; et sic si non transeunt in conditionem objecti, dando primam rationem appetibilitatis, et moralitatis, tantum accidentalem speciem præbent actui exteriori, solumque ille actus petit essentialiter aliquem finem habere in confuso, et vage; sicut si darentur plures luces specie diversæ, neutra per se solam, daret rationem formalem coloribus adæquate, sed quælibet disjunctive.

ACTIO, UT SEMEL EGREDITUR AB AGENTE, QUOMODO DICATUR UNAM TANTUM SPECIEM HABERE?

LII. Sic affirmavit S. Thomas in hoc articulo tertio ad tertiam dum inquit: « Quod idem actus numero, secundum quod semel egreditur ab agente, non ordinatur nisi ad unum finem proximum a quo habet speciem, sed potest ordinari ad plures fines remotos, quorum unus est finis alterius. » Addit autem S. Thomas: « Quod bene potest unus actus secundum speciem naturæ, ordinari ad plures fines voluntatis; sicut actus occidendi potest ordinari ad

conservationem justitiæ et ad satisfaciendum iræ. »

Hoc dictum difficultatem habet in prima parte, in qua loquitur D. Thomas de actu, non in esse naturæ sed in esse moris; de illo enim in esse naturæ, loquitur in secunda parte, cum dicit possibile esse, quod unus actus secundum speciem naturæ, ordinetur ad plures fines voluntatis, id est, ad plures fines morales. Loquendo autem de actu in genere morali, patitur dictum D. Thomæ plures difficultates. Nam inveniuntur actus morales, ut semel egrediuntur ab agente, habere plures species, vel disparatas, vel subordinatas inter se, eo quod habent plures malitias easque specie diversas, quia tenetur quis, eas confiteri, verbi gratia, potest quis unico actu velle adulterium, incestum, et stuprum, vel quia intendit exercere hos actus, cum diversis personis, et unico actu omnes illas vult: vel quia in una et eadem persona, omnes illæ conditiones concurrunt, ut si sit consanguinea, et nupta, et adhuc virgo, non consummato matrimonio.

LIII. Nec dici potest, quod una istarum specierum, sit essentialis, et aliæ accidentales, quia non est major ratio, quod essentialis species sit adulterium, quam incestus, vel e contra, cum ille, solum moveatur ex impetu libidinis, non ex conditione consanguinitatis, vel matrimonii: potius enim vellet, neutrum esse. Similiter qui in bello injusto, vel alia qualibet occasione, vult unico actu occidere omnes homines, qui sunt in una domo, aut civitate, et ibi sunt sæculares, et ecclesiastici, et parentes, aut cognati; ille actus simul est simplicis homicidii, et parricidii, quæ sunt species diversæ, quia omnes illos homines, pro uno objecto habet. Et idem argumentum posset fieri de eo, qui

unico actu vult vitiose agere in omni genere peccatorum, aut studiose vivere in omni genere virtutum: ergo actus etiam prout semel egreditur ab agente, in esse moris potest plures species habere. Tertio, potest idem actus habere plures species ex subordinatione objecti et finis, vel quia una species est boni moralis, et alia mali, vel quia utraque est mala, sive bona. Primo modo, sicut qui dat eleemosynam propter unam gloriam; vel quia furatur, ut det eleemosynam, ut offerat cultui divino, etc. talis actus est simul in specie mali et boni, una ex fine, alia ex objecto. Secundo modo, sicut qui furatur, ut mœchetur; qui jejunit, ut pœnitentiam impleat; tales actus habent duplicem speciem bonitatis, aut malitiæ: ergo falso dicitur, quod actus, secundum quod semel egreditur ab agente, tantum ordinatur ad unum finem proximum, a quo habet speciem.

LIV. Ad hanc difficultatem respondetur supponendo, quod D. Thomas loquitur in præsentia, de specie actus in genere morali, et non in genere naturæ, licet aliqui oppositum senserint, ut Vazquez in præsentia articulo tertio, in notatione articuli et infra quæst. xviii, articulo vii. Sed refragatur illis tota littera articuli iii, ubi aperte sanct. doct. de specie morali loquitur, et cum reduplicatione dicens: « Manifestum est, quod principium humanorum actuum, in quantum humani sunt, est finis. » Et concludit: « Actus morales proprie speciem fortiuntur ex fine nam idem sunt actus humani et morales. » Et expresse in solutione ad tertium distinguit inter speciem in esse naturali, et in esse morali: et prius dicit, quod idem numero actus non potest nisi ad unum objectum ordinari, a quo habet speciem; potest tamen actus secundum speciem naturæ, ad plures fi-

nes voluntatis ordinari, id est, ad plures fines morales: voluntatis enim fines, morales sunt. Quod si dicas intempestive S. Thomam agere hic de specie morali, quia de ea acturus est infra quæst. xviii, respondetur optime id fecisse D. Thomam, quia agit de fine morali hominis, qui est principium moralitatis; et debuit explicare specificationem ipsius, in hoc genere morali, quia est una ex proprietatibus finis. Postea autem agendo de moralitate actuum, debuit etiam explicare, quomodo ex fine sumatur, complens ibi tractatum, cujus principia hic tradiderat.

LV. Hoc ergo supposito dicimus, veriore D. Thomæ sensum videri, quod hoc solum voluit stabilire, ut actus voluntarius in quantum moralis, et in linea, et genere moris, si est unus numero, et sic egreditur ab agente, ex parte objecti proximi solum habeat unitatem, seu ordinem, et respectum unum, licet in finibus remotis possit habere pluralitatem. Actus vero non consideratus, ut unus numero in esse morali, et prout semel egreditur ab agente, sed secundum speciem naturæ, potest supervestiri, et ordinari ad diversas species morales, etiam quæ habentur ex objecto proximo morali; modo ad unam, modo ad aliam, quia species istæ morales, tam ex objecto, quam ex fine remoto, accidentaliter adveniunt actui, considerato in esse naturæ. Et quia ex finibus remotis, sicut etiam ex circumstantiis, adveniunt actibus moralibus, accidentales species, etiam in linea et genere moris, ideo stat bene, quod unus actus numero, habeat plures species, seu malitias morales, quarum una essentialis sit, aliæ accidentales.

LVI. Hæc explicatio ex eo suadet, quia infra quæst. xviii, articulo ii, docet S. Thomas primam, seu

essentialem speciem actus moralis sumi ab objecto; a fine vero habet circumstantiam, quando finis, objectum non est. Si autem prima, et essentialis specificatio ex objecto desumitur, quod est finis proximus; utique oportet, quod in uno actu numero, solum sit ordinatio ad unum objectum formale, quia objectum essentialiter specificans unum actum semper est unum formaliter, licet materialiter plura esse possint, fines autem remoti; cum non specificent, possunt esse plures, sicut circumstantiæ. Semper enim, quod ex parte objecti formalis se tenet, unum est, quia specificativum est. Et sicut species est una, in quacumque linea, seu quidditate specificabili, ita et specificativum, unum esse debet. Fines autem remoti non specificant, nisi rationem objecti induant, sicut induunt respectu actus intentionis. Optime ergo D. Thomas docuit, quod actus, unus numero, non potest ordinari, nisi ad unum objectum, seu finem proximum, licet ad plures remotos; quia ubi intervenit ratio, et tendentia ad objectum, semper intervenit unitas, quia objectum specificat, et species semper est una, si quidem constituit essentiam, et quidditatem, et sic specificativum unum est: quod non contingit respectu aliorum finium, qui non dant speciem, sed circumstantiam; sicut nec respectu actus in esse naturæ, quia respectu illius, accidentaliter comparatur totus ordo, et lineamoralis. Et sic doctrina D. Thomæ nihil aliud continet in hac parte, quam id quod receptissimum est, scilicet ordinatio actus ad objectum, in ea linea, et genere, in quo objectum specificat, una est, et ad unum tantum objectum ordinatur, quia species essentialis, et quidditativa in uno actu et linea, semper una est, et sic specificativum formale, unum